



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis  
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.  
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

**Henricus <Herpius>**

**Coloniæ, 1611**

Affectus sextuplex dilectionis erga proximos exhibendus. Cap. CVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37362**

nique, ex parte finis, vt quis proximum diligit propter Deum, sicut & seipsum propter Deum diligere debet, vt sic dilectio proximi sit sancta. Pro quo sciendum, quòd illud propriè sanctum esse dicitur, quòd ad Dei gloriam ordinatur: Sicut altare dicitur sanctum, & templum, eò quòd est Deo dedicatum. Sic amor sanctus dicitur, quando Deo sanctificatur, hoc est, quando in ipsum, vt in summum bonum, purè refertur. Cùm enim Deus fons est omnium bonorum, ad ipsum diligendum tanquam ad commune bonum quilibet naturaliter inclinatur, sicut flumina à mari egredientia, ad mare reuertuntur. Quodam etiam instinctu naturali commune bonum particulari præfertur, & vnaquæque pars ad bonum totius inclinatur, & ordinatur. Hinc manus percussioibus exponuntur, vt cor & caput à periculis conferuentur, cùm ex eis humani corporis vita dependeat. Simili modo quodam instinctu naturali quilibet semetipsum in Deum ordinat tanquam in beatitudinis fontem, sicut pars in bonum totius naturaliter ordinatur. Sed hoc plenius perficitur per virtutem charitatis, qua diligit homo seipsum propter Deum. Et quia Deus præcipit proximum diligere sicut seipsum, ideo salutem animæ proximi sui debet querere, ac eum sicut seipsum debet ad Deum dirigere, in agendis, in cauendis, & in sustinendis. Et hic amor propriè dicitur sanctus. Est enim quidam amor naturalis inter sanguine iunctos, cum se diligunt, eò quòd ex eisdem parentibus geniti sunt: sed hic non est amor sanctus, nec ad salutem sufficiens, quia, secundum Gregorium, aliud est quod sponte impenditur naturæ, aliud quod præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientiæ. Hi nimirum, & proximum quidem diligunt, & tamen illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur, quia amorem suum non spiritualiter, sed carnaliter impendunt. Est & alius amor ciuilis, sicut inter illos, qui propter hoc se diligunt, quia municipes sunt eiusdem ciuitatis, vel sub eodem principe constituti, legibus eisdem gubernantur, aut quia sunt eiusdem officij, negotij, studij, militiæ, societatis, conuersationis, & sic de alijs, ex quibus contrahitur amor amicitiae. Veruntamen licet huiusmodi duas primas condiciones attingere possunt, vt sint amatores veri, & iusti; non tamen tertiam, nisi per charitatem ordinentur in Deum.

*Affectus sextuplex dilectionis erga proximos exhibendus.*

*Cap. CVII.*

*Intro.*

**I**neroduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.

Dicit Ecclesiasticus: *In tribus beneplacitum est spiritui meo, quae sunt* Eccl. 25.  
*probata coram Deo & hominibus.* Quorum primum est, *concordia fra-*  
*terum,* vel cohabitantium, seu quotidie simul conuersantium. *Concor-*  
*dia* proprie dicitur, quae ex charitate causatur, in quantum charitas mul-  
 torum corda coniungit in aliquod vnum, quod est principaliter bonum  
 diuinum: secundario vero bonum proximi, de quo in libro Iob dicitur: *Qui* Lob 25.  
*facit concordiam in sublimibus suis.* Secundum est, *amor ami-*  
*corum, proximorum,* scilicet in Deum, & inimicorum, propter Deum.  
 Hoc enim est *jugum Domini suauis, & onus leue.* Illud enim *jugum* est su-  
 auis combinatio fraternae dilectionis in Christo, quantum ad amicos:  
 & *onus* istud est amorosa supportatio fraternae defectionis, vel inuesti-  
 onis propter Christum, quantum ad inimicos: utrumque *suauis & le-*  
*ue,* proximum veraciter amanti: quia utrumque pacificum, & diuina tran-  
 quillitati proximum. Alioqui (secundum Gregorium) nemo, cum  
 quempiam diligit, habere se charitatem putet, nisi prius vim ipsam di-  
 lectionis suae examinet. Nam vera charitas est, cum in Deo diligitur  
 amicus, & propter Deum diligitur inimicus. Ille enim propter Deum  
 diligit eos, quos diligit, qui iam & eos diligere scit, a quibus non diligi-  
 tur. Probari enim charitas per solam odij aduersitatem solet. Ille ergo  
 securus amat, qui propter Deum & illum amat, a quo intelligit se non  
 amari. Alta sunt haec, & multis ad exhibendum difficilia, sed tamen ista  
 est vestis nuptialis. Haec Gregorius. Tertium est, *vir & mulier sibi bene*  
*consentientes,* hoc est, in bono, non in malo: vel, per virum rationem, &  
 per mulierem sensualitatem intelligere possumus: quae dum in bono  
 sibi inuicem consentiunt, pacem veram, quae singulorum cordium est,  
 inueniunt. Vnde ad implendum perfectius Dominicum praecipuum  
 de dilectione fraterna, sextuplici affectu se quis erga proximum exer-  
 cere debet. Primus est affectus cordialis vnionis, ut quantum in se est, Aff. Aug.  
 & quantum secundum Deum potest, cum alijs vnum se sentiat, ac o-  
 mnium velle rectum pro se reputet. Et hoc operatur charitas, quae li-  
 quet humana corda cum in cor hominis diffusa fuerit, & illud humile,  
 ac purum inuenierit: tunc enim omnia aliorum bona transformans in  
 se, facit sua. Solum namque liquidum est, quod omni forma congru-  
 it, quod optime cordi veraciter amantis conuenit: *Factum est,* inquit  
 Psalmista, *cor meum tanquam ceram liquefuit in medio ventris mei.* Sed  
 charitas liquefuit, cordis puritatem exigit: *Et beati mundo corde,* quo-  
 Match. 5.

*M m m*

*11470*

Gant. 4.  
Astor 4.

Affectus  
humiliati-  
onis.

1. Pet. 2.  
Rom. 12.

Ib'lem.  
Affectus  
supporta-  
tionis.

Galat. 5.

Supportan-  
das proxi-  
mus.  
Rom. 12.  
1. The. 5.  
Heb. 12.  
Coloss. 3.

nia missi Deum videbunt. Hi enim sunt mundi corde, qui simplici oculo & mundo corde in Deum intendentes, inter immunda mundi, mundum habentes aspectum, proximum in Deo duntaxat charius amplectuntur. De quo oculo dicitur in Canticis: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, in vno oculorum tuorum.* Hinc multitudinis credentium erat cor unum, & anima una in Domino: quia puritas eos mundauerat ab humano contagio, & charitas per transformationem eos collocauerat in vno cordis amorosi glutino. Secundus est affectus propriae humiliationis, & fraternae honorationis, quo scilicet affectu quis omnes reueretur & honorat, omnes sibi praefert, omnibusque tanquam dominis suis humili corde se subdit, iuxta illud: *Omnes honorate, fraternitatem diligite.* Et: *Honore inuicem praesentem.* Nec solum affectu, sed etiam actu proximo secundum Deum in omnibus condescendendo, honorem, ac gratitudinem ad quodlibet humilitatis obsequium grater impendendo, & se promptum exhibendo, tam in condonandis iniurijs, quam in supportandis miserijs & defectibus, eo quod se viliores multum, & talibus dignissimum reputat, iuxta illud: *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Tertius est affectus tranquillae supportationis. Difficillimum quippe est in humana conuersatione non oriri scandala, tum ex fragilitate, tum ex ignorantia, tum ex malitia, quae regnat in hoc saeculo nequam. Igitur ille commendandus est, qui aliorum non solum imperfectiones, sed etiam inuersiones magnanimo & tranquillo corde sufferre noluit cum hoc tanti meriti sit & virtutis, ut in eo complectantur omnes leges & Prophetae, iuxta illud: *Aliter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Et haec fraterna charitatiua supportatio fieri debet opere, ore, & corde. Primo fieri debet opere, iuxta illud: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malo.* Et iterum: *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum est, sectamini inuicem & in omnes.* Quod ut facilius peragatis, secundum quod dicitur ad Hebraeos: *Recognate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus, aduersum semetipsum contradictionem, ut non fatigaretis animis vestris deficientes.* Et, ut dicitur alibi: *Induite vos sicut electi Dei, scilicet per aeternam praedestinationem, & sancti, scilicet per Sacramento-rum participationem, & dilecti Dei, scilicet per praesentem iustificationem; viscera misericordiae, scilicet benignitatem, id est, animi dulcedinem ad benefaciendum etiam inimicis; humilitatem, qua maiora pati vos dignos recognoscatis; modestiam, scilicet ad seruandum modum in omni-*

bis.

bus agendis, & sustinendis; *patientiam*, cum aequanimitate; *supportantes*, inuicem, scilicet onera, imperfectiones, & similia; & *donantes* iniurias, & alia iniuste illata, pure & integre, si quis aduersus aliquem habet querelam: sicut & Christus donauit nobis, non ulciscendo, non improperando, non minus diligendo. Secundo fieri debet ore, iuxta illud: *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed e contrario, benedicentes: quia in hoc vocati estis.* Nam & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius: qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Qui cum malediceretur, non male dicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniuste: qui peccata nostra tulit in corpore suo super lignum. Tertio etiam fieri debet corde, per benignitatem: quæ est quidam animi dulcor, excludens omnem amaritudinem, inuidiam, & nequitiam, & hominem habilitans ad internam lætitiã, & beneuolentiam, ac in exteriori conuersatione reddens hominem affabilem & benignum. Dicuntur etiam benigni, quos bonus ignis amoris feruere facit ad benefaciendum proximis, etiam aduersarijs. Dicit enim Augustinus in Enchiridio: *Magnum est erga eum, qui tibi nihil mali fecit, esse beneuolum & beneficum.* Illud verò multo grandius & magnificentissimæ bonitatis est, ut & tuum quoque diligas inimicum, & ei beneficias. Quartus affectus est piissimæ compansionis in aduersis, quo mens aliorum mala sentiat sicut sua: principaliter tamen in malis aliorum spiritualibus tam pœnæ, quàm etiam culpæ: secundariò verò in corporalibus, & temporalibus aliorum aduersitatibus & iacturis, sicut Apostolus de se dicit: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Hac comparsione lachrymatus est Iesus, videns ciuitatem Hierusalem, & dixit: *Quia si cognouisses, & tu, utique feres, Præuidit enim iacturam illam grandem animarum, & corporum, ac etiam rerum exteriorum.* Nimirum cum de lege nature sit, si quid patitur unum membrum, compatiuntur ei omnia mēbra. Quintus affectus est pia congratulatio in prosperis, quo scilicet quis de alieno bono lætatur sicut de suo: præsertim de profectu spirituali, deinde de profectu corporali & tēporali, in quantum non est contrarius salutis, iuxta illud. *Gaudete cum gaudentibus.* Et quia bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, hinc oportunitate quandoq; se offerent cordialis cōgratulationis affectu etiam verbis, & signis ostēdere debet: sicut cum gratulatur unum membrum, ei cōgaudent omnia mēbra, ut dicit Apostolus:

*M m m 2 Sumus*

Affectus cō-  
passionis.

2. Cor. 11.

Lucæ 19.

1. Cor. 12.  
Aff. cō-  
gratulationis.

Rom. 12.  
Lucæ 6.

1. Co. 12.

- 460  
 Ephes. 4. *Sumus enim inuicem membra in corpore mystico. Sic Moses cum agre ferret Iosue, quod in populo prophetarent Heldad, & Medad, respondit: Quid amularis pro me? Quis tribuat, ut omnis populus propter, & det eius spiritum suum Deus? Sextus affectus est Christiformis oblationis, ut scilicet exemplo Iesu Christi paratus quis inueniatur, pro omnium, & singulorum etiam inimicorum salute ponere animam suam. Tunc enim verè diligit proximum suum sicut seipsum, Unde Iohannes ait: In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit: & nos debemus animas ponere pro fratribus nostris: sicut plus tenemur diligere animam proximi, quam corpus proprium: quia bonitas animæ proximi, bonitatem nostri corporis excedit, eò quod directè est capax Dei per cognitionem, & amorem, quod nostro corpori non conuenit.*

*Theologia mystica Libri primi*  
 FINIS.



INTRO